



FRANCISCI MARIÆ PITONI

In Romana Curia Advocati

DISCURSUS

In Sensu Veritatis

IN CAUSA

VALLI-SOLETANA PRIORATVS.

In quo probatur, Electionem Prioris factam in Monasterio S. Pauli Vallis-Oletani, illiusque confirmationem à P. Provinciali expletam esse validam.

Et respondetur difficultatibus desuper excitatis.



1. CRIBO, veritatis impulsu, non defensionis, lingua Iustitiae, & non affectionis inter Partes mihi, neque amore, neque injuria cognitas super causa electionis, quam de Priore Conventuali Monasterij S. Pauli fecerunt Vocales, approbat Consilium Sapientiorum Patrum Collegij Salmanticensis, Hispania autem Provincialis confirmavit, quamvis enim RR. & omnium consensu integerimi Superioris Generalis Judicium pro hujusmodi electionis cassatione inclinaverit, gaudeo tamen causam eamdem tanti Viri iterum subire censuram, iterum revocare discussionem, tamquam ejus, qui tota plaudente Curia acclamatus, recti Custos inviolabilis, & verè cognatam æquitati, & docilitati mentem induitus, si humana ratio convincat, sese conformare non erubescit eum sensu Imperatoris Justiniani, qui habetur in Auth. de nuptijs §. Nos autem ibi Existimavimus autem opportere nunc Consiliis perfectioribus causam considerantes, etiam quædam corrigerem, non aliorum solummodo, sed etiam QUÆ A NOBIS IPSIS sancta sunt, non enim erubescimus si quid melius etiam horum, quæ ipsi prius diximus, adveniamus, hec sancire, & competentem Prioribus imponere correctionem, nec ab alijs expectare corrigi legem — quod notabile dictum extollit Rot. in

Firmana Jurispatronatus 21. Aprilis 1704. §. Nunquam coram bon. mem. Muto.

2. Neque de cætero dubitari potest quo minus Judex Ordinarius gravamen à se illatum etiam pendente appellatione revocandi potestatem habeat, quemadmodum ex doctrina Franchi in capit. cum cessante sub num. 14. & 16. de appellat. deducit Lancellott. de attent. part. 2. cap. 12. limit. 4. num. 7. Scacc. de appell. lib. 3. cap. 2. quæst. 19. remed. 1. conclus. 6. sub num. 59. vers. quia respondeo, & vindetur Textus apertus in cap. si à Judice de appellat. in 6. eoque facilius vbi sententia Judicis Ordinarij juridicum patiatur defectum citationis per ea, quæ probat Scacc. de sentent. & re judic. gloss. 14. quæst. 26. num. 1. & seqq.

3. Examinaturus igitur studio veritatis omnia hinc indè per Partes copiosè deducta, in duobus articulis principalibus Me continebo; Primus erit super validitate, vel nullitate electionis Capituli Conventualis, alter verò super examine actuum, ad quos Hispania Provincialis processit, num scilicet titè prodierint, vel censuram patientur.

4. Aggrediendo itaque prioris articuli discussionem præmitto duas Regulas elementares ante oculos Judicis habendas, quarum prima consistit in præsumptione, quæ regulariter assistit pro validitate cuiuscumque actus humani per Text. in l. quoties ff. de reb. dub. & l. quoties ff. de verb. oblig. quod

latè exornat, & ampliat *Barbos.* axiom. 12. num. 17. *O* seqq., & quantum ad rem nostram electionis validitas de jure præsumitur ita, & taliter, quod non Electo onus probandi validitatem, sed Oppositoriorum nullitatem electionis probandi pertinere sit communis assertio de qua *Lapus Abbas* in cap. licet *Episcopus* num. 3. *O* seqq. de præbend. in C. ibique *Geminianus*. num. 12. *Passerin.* de elect. cap. 32. num. 69. *Rot.* decis. 239. num. 25. *O* 26. par. 6. *O* decis. 244. num. 34. par. 8. recent. *O* in albaracinen. *Canontoatus* 10. Maij 1700. §. Sed ante quam coram RR. D. Molines Decano impressa apud Me discept. *Eccles.* 4. num. 127.

5. Altera æquè valida juris regula est, quod talis electio maiorem pro se obtinet præsumptionem pro validitate, quoties etiā confirmata reperitur per legitimum Superiorem, cui Jus confirmandi pertinet, ut est Hispaniæ Provincialis, tunc enim è magis valida præsumitur electio, sive ex parte formæ, sive ex parte personæ, nam jura nostra præsumunt pro qualibet sententia Judicis, & sic etiā pro Confirmatore, qui rite, & recte præsumitur ad confirmationem processisse, confirmatio enim quædam sententia est, ut ait *Passerin.* de elect. cap. 32. num. 32. omnisque sententia præsumitur justa, & ad Justiciæ terminos prolata per *Text.* in cap. bonæ de elect. ibi — *Pro his quæ a Judice sunt acta præsumuntur, quod omnia rite fuerint celebrata — præcipue ubi confirmatio processit re matuori examinata de consilio, & voto duodecim gravitorum Patrum Collegij Salmanticensis, quia secundum Sacros Canones veritas apud multos facilius invenitur, & integrum est Judicium, quod plurimorum sententijs confirmatur, ut ait *Celestinus Tertius* in cap. prudentiam de offic. Delegat. *O* *Innocent.* Papa in Can. de quibus distinct. 20. *O* in Can. extra conscientiam dist. 64. hinc dicit Imperator, quod per ampliores homines perfectissima veritas revelatur in l. quæstionem Cod. de fideicommissione, quod sequuntur glossæ Juris Canonici in dicto Can. de quibus in verbo pluribus dist. 20. *O* in Can. extra conscientiam in verbo plurorum dist. 64. *O* in cap. prudentiam in verbo plurimorum de offic. Delegat.*

6. His generalibus præmissis apud Me certum videtur, quod ut destruatur duplex hæc præsumptio, quæ alsilit tam electioni, quam confirmationi requirantur vitia, & defectus tales, qui nullam patientur dubietate, sed manifestissimis, & liquidis probationibus convincantur, alias enim recedendum non est à regula, quæ insinuat Judici validitatem actus, & quæ Judicem movere debet, ut quartum fieri possit actum subtiliter, & validè factum interpretetur, ut in præcis terminis electionis confirmata ex professo tradit *Lezzan.* oper. moral. tom. 4. consult. 53. num. 67. *O* seqq. *Rot.* decis. 13. num. 2. de confess. præbend. in antiq. *Amayden.* de styl. *Datar.* cap. 15. §. 6. num. 50. *Rot.* coram R.P.D. *Ansal.* decis. 61. num. 13. *O* 14. *O* in recent. decis. 467. num. 1. *O* 2., ubi quod plena requiritur, accludens probatio contra præsumptam validitatem electionis.

7. Inclinantibus tot regulis pro validitate actus

videndum est qualia sint vitia, & defectus, quibus infecta supponitur controversia electio, ut exinde corrut accessoria ejus confirmatio, & sane majorē oppositionem video fundari in exclusione P. Voxmedianus à jure votandi in Capitulo ex defectu boai juris, seu proprietatis ex quo scilicet ille non fuisse assignatus in Conventu Sancti Pauli, neque idcirco esset de gremio Capituli Conventualis, dicitur enim quod cum ipse reperiretur in quasi possessione votandi in eodem Capitulo Conventuali in duabus praecedentibus electionibus non potuerit occasione novæ electionis excludi ab interessendo, & votando in Capitulo, quia Possessor est manutenendus quavis in Judicio proprietatis legitimo titulo destitutus foret juxta decisionem *Text.* in cap. cum Ecclesiæ Sutrina de caus. possess. *O* propriet. ubi castella fuit electio facta per Canonicos Ecclesiæ Sutrinæ exclusis Clericis, qui votaverant in tribus praecedentibus electionibus, quæ decretalis vocatur strangulatoria, & sunt plures glossæ super illa, & allestantur in concordantes *Posto.* de manuten. alleg. 42. ex nu. 74. ad plur. seqq. *Barbos.* vot. decis. 106. num. 65., idque procedere supponitur etiā in Eleitore dubio, qui adhuc ratione dubietatis excludi non valeret ab eligendo, sed debet admitti cum protestatione juxta doctrinam *Passerin.* de elect. ca. 14. num. 47. ibi — *Hinc est, quod etiā loquendo de amentia, si bac superveniat ei, qui est in possessione effendi, de Collegio Electorum, seu in possessione electionis, dubius Amens non potest ejici ab electione activa, sed debet admitti cū protestatione, quia talis possidet electionem.*

8. Hoc transire dicitur in majorem evidentiam ex quo creditur non adesse in P. Voxmediano defectum proprietatis ita clarum, & manifestum, ut nullam admitteret rationem dubitandi, in quibus terminis applicatur subalterna conclusio, quæ dictat eo minus spoliandum esse Possessorem jure suffragij, quando defectus proprietatis non resultat ex illo trino genere probationis, re scilicet judicata, publico Instrumento, aut confessione Partis, ut relatis cōcordantibus habetur apud *Rot.* in *Matheranen.* *Parochialis* 11. Januarij 1712. §. *Quod autem coram R.P.D. Falconrio,* *O* in *Pisana Prioratus* 11. Aprilis 1712. §. Atque id ipsum, *O* in *Bononien.* *Beneficiorum de Castello* 12. Decembris 1712. §. *Absque eo, quod coram R.P.D. Crispo.*

9. Dicitur etiam haberi non posse pro re judicata sententiam Provincialis declaratoriæ non juris Patris Voxmedianæ tamquam inaudita Parte latam, & expressè reclamatam per eundem P. Voxmedianum ante electionem, addendo, quod sine probatione lata fuerit sententia ex quo postea Vicarius missus per Provincialem ad præsidendum electioni, quæsivit probationem ex ore ipsius P. Voxmedianus, illum interrogando, ut responderet an esset assignatus Conventui Zamoren, aut S. Pauli sub precepto cum comminatione excommunicationis, cui interrogationi ipse respondere recusavit dicendo se responsorum Patri Provinciali, ex hoc enim, & nonnullis Testibus deinde examinatis ad probandam assignationem hujus Religiosi in Conventu Zamoren, dicunt Oppositores sententiam Provincialis

ciatis nullam, & injustam, ex quo fuerit prius sententiatum quam probatum contrá expressum Text. in C. a. primo semper 2. quæst. 1. ibi — primum probate, & postea charitativam sententiam proferte — & dixit Rot. in Cremonen. Beneficij 14. Maij 1706. §. Ex quæ factis coram R.R. Kaunitz.

10. Et denique omissis alijs levioribus addunt Oppositores non subsistere illam peremptoriam exceptionem, quod P. Voxmediano acquiecerit, ita ut nein o alijs præter Vocalē contemptū agere possit ad annullandam electionem, quia respondent hujusmodi Religiosum semper reclamasce tam ante electionem, quam postea tam ab illa, quam ejus confirmatione, prout justificant ex quadam attestatione Fr. Joannis Martinez Religiosi Conventualis S. Pauli, qui se appellavit — Secretario nominato dal Consiglio per lelettione del Priore del d. Convento di S. Paolo.

11. Hæc omnia in compendio sunt, objecta, super quibus Oppositorum intentio revolvitur pro vno ex principalibus viis controversæ electionis; Ego autem reflectendo ad veritatem his non obstantibus in contrariam sententiam inclino, & absolutè censeo, non posse ex hoc capite invalidari, aut invalidam declarari electionem, & duplici movere fundamento.

12. Primum meo Judicio solidum, ac legalissimum videtur, quod exclusio Vocalis etiam legitti- mi numquam de jure apta sit nullam reddere electionem, nisi eo volente, & prosequente contemptum suum, unde movere Doctores ad communiter afferendum, quod electio facta, excluso aliquo Vocali de jure non excludendo, non est ipso jure nulla, sed tantum opa exceptionis castanda, & nullanda ad solam instantiam Vocalis exclusi juxta Text. in cap. quod sicut de elect. Barbos. de jur. Eccles. lib. 1. cap. 19. num. 115. Lavor. var. lucubr. tom. 1. tit. 4. cap. 17. num. 17. Peyrin. de offic. subdit. Regular. tom. 1. quæst. 1. cap. 31. §. Noto secundo vers. & ideo electionem Rot. coram Coccin. decis. 202 1. num. 37. & 38. & coram R.P.D. Ansald. decis. 52. num. 16. & decis. 86. num. 8.

13. Quæ conclusio eo usque protenditur, ut locum habeat exclusivè ad omnes alios, nedum Capitulares, quibus prohibitum est proseguiri contemptum alterius Vocalis contempsit, sed etiam exclusivè ad ipsum Judicem, qui neque ex officio talem habet facultatem deveniendi ad cassationem electionis propter hunc, vel illum Vocalē, qui ad votandum non fuerit admissus, est enim interesse privatum, & personalis exceptio ipsius Vocalis contempsit, nequaquam alteri communicabilis, neque ab altero etiam Judici allegabilis juxta singularem theoricam Panormit. in cap. in genesi num. 10. de elect. ibi — Præterea dico, quod nec Adversarij, nec Judex ex officio suo possit allegare contemptum ex quo ille, qui fuit contempsitus. TACET, quia cum hoc casu agatur de favore privato, non autem publico, non potest J udex supplere ex officio suo &c. quod autem hoc concernat commodum privatum, & non publicum prebo ex eo, quod ipse contemptus potest ratificare electionem &c. quod non potest, si versaretur ibi publi-

ca utilitas, quia non potest quis renunciare juri introducto in favorem publicum &c. ad hoc facit glossa &c. quæ dicit, quod mortuo Canonico contemptus non potest amplius allegari contemptus etiam per Successorem in Canonicatu; item quemadmodum Canonicus potest à principio non interessere electioni, ita potest ex post facto contemptum non prosequi, & si ipse non curat, nec Judex curare debet, quare ego puto, quod solus contemptus potest allegare contemptus ad effectum, ut retractetur electio, unde nec Judex, nec alij de Capitulo ILLO TACENTE poterunt contemptum allegare.

14. Quam Doctrinam veluti solidis principijs innixam communiter referunt, & sequuntur Canonizæ signanter Sigismundus de elect. dub. 9. num. 3. Castellin. eodem tract. cap. 8. num. 1. Donat. in prax. quæst. regul. tom. 2. tractat. 4. quæst. 21. numer. 5. Passerin. de elect. cap. 11. num. 100. Rot. coram Buratt. decis. 351. num. 4. & in recentior. decis. 467. num. 35. par. 19. tom. 2. & in Giennen. Furis mutandi 27. Martij 1705. §. Sed dato etiam coram Eminentissimo D. Card. Priola, & est conclusio receptissima in Foro.

15. Applicando ad rem videtur mihi plenè justificatum in facto, quod Pater Voxmediano nequaquam prosecutus fuerit contemptum suum distinguendo duo tempora unum ante electionem, & usque ad ejus confirmationem factam per Provinciale, alterum verò post confirmationem, & usque in præsens, agendo enim de primo tempore inventio in facto, quod P. Provincialis die 22. Februario 1713. protulit sententiam de consilio graviorum Patrum Conventus Salamanrii, in qua declaravit P. Voxmediano, & P.A. Trinitate non habere votum in futura electione tamquam non assignatos in Conventu S. Pauli, quæ sententia prolata extitit ante notitiam novæ electionis facienda habitam per Capitulum Conventuale Sancti Pauli propter non acceptancem Prioratus Fr. Gutierrez electi, quæ notitia habita fuit die 8. Martij 1713. de mane in quo comparuit Fr. Ambrosius Martinez Vicarius, & Praes, notificando epistolam Provincialis in qua mandabat deveniri ad novam electionem ob non secutam acceptancem Prioris electi, à die enim hujus notitiae incipit currere Vocalibus novis terminus unius mensis ad eligendum ad Text. in cap. si electio de elect. in 6. ibi — Si electio ex eo non fortatur effectum, quia Electus consentire recusat &c. Electores &c. habebunt à dispensu &c. ac si vacatio nova esset tempus integrum ad electionem ultiam celebrandam.

16. Hac autem die 8. Martij 1713. cum Vicarius notificaverit Ordinem deveniendi ad novam electionem contemporaneè, etiam notificavit, & legi fecit sententiam declaratoriam Provincialis in qua declarabat P. Voxmediano ex defectu assignationis in Conventu S. Pauli non non habere votum in futura electione, & tamen publice, & palam lecta hac sententia in Capitulo Conventuali, in quo præsens erat etiam P. Voxmediano, iste; nec reclamavit, nec appellavit à lectura hujus sententia quæ quidem taciturnitas, non reclamatio, & acquiescen-

4

cia demonstrat memoratum Religiosum Justitiae sententiam agnovisse dum alias tunc inerat necessitas viva voce appellandi juxta Text. in leg. 2. ff. de appellat. & in leg. Litigatoribus, Cod. de appellat. dixerunt Scacc. de appell. lib. 3. cap. 2. quæst. 4. num. 19. Ridolphin. in prax. par. 1. cap. 13. num. 37. Mirant. in prax. par. 6. tit. & quandoque appellatur. num. 14.

17 Benè verum est, quod postquam iste Religiosus ad lectoram sententiarum nou reclamavit viva voce; deinde post quatuor dies scilicet 12. Martij 1713. de manè paulò antè electionem protestatus est contra sententiam tamquam attentatam requirendo P. Provincialem, ut novum ficeret Judicium audita Parte, & juxta illud sententiaret ibi — requiro, ac prævenio A.R.P. Provinciali faciat novum judicium, & examen d. conditionis (scilicet assignationis Couventui) & juxta illud transeat ad proferrendum suam sententiam, & declarationem — & interim quia Vicarius, & Praeses Capituli recusavit illum admittere ad votandum protestatus est de nullitate electionis facienda in hunc modum petendo, & supplicando ibi — P.M. Vicario peto quod banc meam petitionem, & protestationem faciat inseri in decreto electionis, & cum illo mitti, ita ut non possit esse examinata, & judicita electio sine examine, & judicio illius — Provincialis autem in actu confirmandi electionem causa plenè discussa, & examinata protestatione P. Voxmediano confirmavit suam priorem sententiam, quod ipse non haberet votum, & devenit ad confirmandam electionem.

18 Ergò P. Voxmediano tempore ante electionem nulquam appellavit contra sententiam Provincialis, sed solum postulavit, ut ipso auditio iterum sententiaret, prout sententiavit, & propterea hujus Religiosi reclamatio terminavit usque ad sententiam Provincialis, cuius Judicio se subjecit, juxta verba protestationis superius relatæ, per Text. in leg. ad solutionem, Cod. de re judic. Castellin. de elect. cap. 8. num. 1. vers. si vero, Tamburin. de fure Abbat. tom. 1. disput. 5. quæst. 3. num. 3. & Rot. decis. 467. n. 32. & 33. part. 19. tom. 2. recent.

19. Quod autem iste Religiosus se subjecerit novo Judicio Provincialis; neque amplius desideraverit, quamquid causa cognita, ipsoque auditio iterum sententiaret animo acquiescendi sententia ejus, manifestum facit secundum tempus post confirmationem electionis, dum non reclamavit, neque appellavit ab hac sententia confirmationis electionis, sed tacuit, & acquieavit, solumque reclamarunt, & appellarunt sex tantum Religiosi, inter quos non legitur P. Voxmediano, ut in Summario Villamandos num. 2. 1. si igitur post confirmationem nulla amplius legitur reclamatio, aut protestatio P. Voxmediano evidentissimum redditur, quod ipse acquieverit sententia Provincialis, illique stare voluerit, neque id circò licitum est alijs prosequi contemptum P. Voxmediano, quem ipse prosecutus non fuit, ut in terminis individualibus, quod non sufficiat, ut contemptus protestetur, & reclameret, sed requiratur, quod non desistat, sed prosequatur contemptum suum, alias dicatur acquievisse firmavit

Rot. d. decis. 467. num. 32. & 33. part. 19. tom. 2. ibi — Electio nulla non fuit ex sola oppositione, aum non fuit etiam prosequitus contemptus ad illam annullandam &c. quia Canonicus licet postquam reversus fuit adhæserit protestationibus &c. nibil minus postea desistit, nec assertum contemptum fuit prosecutus — & regulariter contemptus non audiatur amplius postquam electio est confirmata, dum ante confirmationem tantum audiri solent hujusmodi oppositiones, prout ex Text. in cap. final. de elect. in 6. deductum Adden. ad Panormit. in cap. in genesi num. 10. litt. B. de elect. Lezzan. oper. moral. tom. 4. consult. 53. num. 80. Rot. decis. 467. num. 36. part. 19. tom. 2. recent.

20. Sed fortius in casu isto, ubi video etiam illos sex Religiosos, qui appellarunt à sententia confirmationis non appellasse in termino Juris, ex quo sententia confirmationis prolata fuit die 25. Martij 1713. appellatio autem legitur subscripta 14. Maij sequentis, & sic jam elapso termino decendit ad appellandum præfixo; vnde hæc appellatio sicut non suffragatur illis Religiosis, qui appellarunt, & quos audiendos non esse dicunt Barbos. in cap. ut circa num. 17. de elect. in 6. Passerin. de elect. capit. 32. num. 39. Castellin. eodem tract. cap. 16. num. 5. Rot. coram Coccin. decis. 2088. num. 48. & seqq. ita malto minus appellatio hæc juvare potest respectu P. Voxmediano, qui nullo modo appellavit, & sic desstitus à prosecutione sui contemptus Rot. d. decis. 467. num. 44. & 45. par. 19. tom. 2. recent.

21. Immo quod P. Voxmediano acquieverit sententia Provincialis convincitur ex relatione Fr. Emmanuelis de Burgos Secretarij Capituli Conventualis S. Pauli, qui refert post latam sententiam confirmationis omnes Religiosos eam acceptatæ, & recognovisse P. Villamandos in eorum legitimum Prælatum — senza esserui stata minima contradictione, è senza che nessuno né in voce, né in inscriptis protestasse di accettazione, è possesto, né habere opposito cosa alcuna in contrario — ut in Summario Villamandos num. 25. si ergò omnes, qui reperiebantur in Conventu etiam Religiosi Laici recognoverunt, & acclamarunt Priorem electum absque ulla contradictione, utique dicendum est, quod etiam P. Voxmediano fuerit unus ex ipsis, qui acceptavit, & acclamavit Priorem electum, ergo quid clarius ad probandum, quod ipse contemptum suum prosequi noluerit, & ratam habuerit electionem? quia relationi Secretarij Capitularis omnino standum est tamquam publici Officialis in materia, quæ proprium respicit Officium Rot. decis. 487. num. 7. & 12. part. 18. tom. 2. recent. & loquendo in terminis Secretarij Capitularis me scribete dixit eadem Rot. in Monasterien. Canonicus 18. Martij 1707. §. Insubsistens, & 20. Januarij 1708. §. Neque demum coram R.P.D. Scoto nunc Illustris. Gub. Urb. & quod talis acceptatio, & acclamatio inducat ratificationem electionis, ejusque validitatem me scribente decisum fuit in Leodien. seu Aquisgranen. Decanus 20. Junij 1701. §. Vixum est cum seqq. & 10. Martij 1702. §. Qui sane cum seqq. coram clar. mem. Card. Caprara impressa apud me discep. Eccles. 24. n. 57. & seqq.

22. Si autem, & benè dubitari potest, quod illimet sex Religiosi; qui deinde apparuerunt non sint audiendi quando acceptarunt Electum, ac simul intra decendij limites non appellarunt, juxta literalem decisionem Text. in capit. nulli sincere de elect. in 6. Lezzan. dicta consultat. 53. num. 81. & seqq. & plenè ego scripsi disceptat. Eccles. 24. num. 35. Castellin. de elect. cap. 5. num. 30., Passerin. cap. 32. num. 24. quid sanè dicendum erit respectu P. Voxmedianus, qui ratificavit, ut suprà electionem, & acceptavit Electum, sed tamè postea non variavit voluntatem, nec appellavit, ut quamvis interpellative fecerunt sex illi Religiosi, & in fortioribus docet Text. in leg. Imperatores in fine ff. de decurion. , Lezzan. oper. moral. tom. 4. dicta consultat. 53. num. 86., & seqq. & concordat optimus Text. in cap. concertationi de elect. in 6. ubi de illo, qui non appellavit intra decendum ab electionibus, & quibuslibet alijs actibus, immò his consensit, quod amplius audiri non possit, quem Textum ponderat Lezzan. dicta consultat. 53. num. 78. tom. 4.

23. Neque obstatre puto unicum Opppositorum refugium consistens in quadā attestatione Fr. Joannis Martinez, qui se intitulando Secretarium electionis Capituli Conventualis deponit, quod P. Voxmedianus simul cum alijs præventivè appellaverint ex nunc pro tunc etiam ab ipsa confirmatione electionis facienda per Provinciale, ut in Summario oppositorum num. 1. litt. DD. auctor enim, quot fuerint Secretarij hujus Capituli Conventualis, dum lego in Summario Villamendos num. 25., quod legitimus Secretarius fuit Fr. Emmanuel de Burgos, ergo si iste fuit Secretarius, conseqens est, falsum esse nomen Secretarij, quod sibi usurpavit Fr. Joannes Martinez, qui milii suppōnitur esse unum ex adherentibus ad opponendum electioni, si autem verum est, quod iste falso se intitulaverit Secretarium, nulla fides præstari poterit sua attestationi de cætero extrajudiciali, & extra limites proprij officij, dum habet contra se relationem legitimi Secretarij, & mendacium, cum quo se intitulavit Secretarium, demic illi fidem in omnibus, quæ ad complacentiam attestari voluit, juxta Text. in Can. Pura 3. quæst. 9. , ibi — plerunque testis, dum ad seriem gestorum aliquid ex suo adjicit, totam Testimonij fidem Partis mendacio decolorat — & tradunt Bald. in leg. si ex falsis num. 15. Cod. de transact. Rota coram Carilli. decis. 186. num. 11. , & in Giennen. Adjunctorum 27. Martij 1587. §. Vel quatenus coram Reverendis. D. Molines Decano.

24. Sed quando præcisivè ab hoc insuperabili, & hæc tenus relato fundamento descendendum foret ad examinandum an benè, vel malè P. Voxmedianus fuerit declaratus non habere votum, sive exclusus ab electione (quæ necessitas hic non concurredit ex prædictis) adhuc benè discussis circumstantijs credetem, hunc Religiosum fuisse legitimè exclusum, & benè fuisse sententiatum per Provinciale, quod ipse votum non haberet, & hoc erit secundum fundamentum, quod asummo.

25. Ratio inclinandi in hunc sensum desumitur ex illo principio, quod ad effectum votandi, scū

eligendi in Capitulo debet Vocalis habere conditio-
nes, & qualitates necessarias, quæ ex lege, vel
Statuto requiruntur, & quibus deficientibus dici-
tur extraneus ab ipso Collegio, seu Capitulo, ideò-
que cum P. Voxmedianus non esset assignatus in
Conventu Sancti Pauli, & consequenter non esset
de Corpore Capituli, sed extraneus iussè declaravit
Provincialis illum non habere votum, & justissimè
fuit ab electione exclusus, hoc autem requisitum as-
signationis in Conventu statutarium est in hac Reli-
gione, prout secundum ejus Constitutiones Frater
assignatus in uno Conventu non habet vocem in
electione alterius Conventus, quēmadmodum vi-
dere est in Constitutionibus Ordinis dist. 2. sub lit.
Q. titul. de elect. Prioris Conventual. Castellin. de
elect. cap. 4. num. 3. Passerin. eodem tractat. cap. 3.
num. 50. & seqq. , & num. 60. , & cap. 10. à num.
26.; & 11. ac etiam de jure est, ut jus eligendi per-
tineat ad eos tantum Religiosos illius Conventus
cui sunt assignati, & de cujus Corpore existunt, jux-
ta Text. in cap. 1. de elect. , & in cap. cum dilectus
de consuetud. Rota decis. 65. num. 5. part. 1. recen-
tior. Passerin. de elect. cap. 10. num. 24. Cum itaque
P. Voxmedianus esset assignatus in Conventu Za-
morensi, utique non poterat habere votum in Ca-
pitulo Conventuali Sancti Pauli tamquam extra-
neus, ut est Text. apertus in cap. constitutis 47. ubi
Gloss. in verb. vocem in Capitulo de elect. ubi quod
Monachas ad alterum Monasterium translatus non
potest habere vocem in Capitulo Prioris Monaste-
rij etiam de consensu ejus Abbatis, & Monachorum
ubi Panormitan. num. 3. Butr. num. 10. , ibi — Quia
non potest Monachus tenere locum in duobus Mona-
sterijs — Gonçal. num. 7. ubi quod Monachus ad
aliud Monasterium translatus — non admittitur tu-
quam extraneus ad electionem Praelati prioris Mo-
nasterij , & concordat Textus apertissimus in cap.
ne nimia de relig. domib. , ibi — illud etiam pro-
hibemus, ne quis in diversis Monasterijs locum Mo-
nachij habere præsumat — sequuntur Lavor. de
elect. cap. 15. nn. 81. Passerin. de elect. cap. 10. nn. 26.

26. Quod autem P. Voxmedianus esset assignatus in Conventu Zamoren. probari videtur ex pluri-
bus. Primo scilicet ex depositionibus Testium, qui
jurarunt fuisse illum assignatum ad Conventum Za-
moren. , & in illo stetisse per unum annum, & ultra,
& alij etiam deponunt de confessione ipsis facta ex
ore ipsius Religiosi assignati. Secundo resultat ex
quodam Libro Operis Pij relicti per Reverendiss.
Bajona circa subministrandum Viaticum Religiosis
exeuntibus ē Conventu Vallis Oletano ad alios
Conventus, in quo Libro registrantur partitæ Via-
ticorum, quæ solvuntur Religiosis ad alium Con-
ventum assignatis charaktere P. Procuratoris Gene-
ralis, neque solvuntur Viatica, nisi post quam fuit
facta assignatio, & hæc notificata Conventui Vallis
Oletano insuper prævia Schedula Prioris ipsius Co-
nventus testantis de assignatione jam facta. In hoc au-
tem Libro scripta reperitur hæc partita, ibi — Tali
die cum Schedula P. Prioris dedi 24. regalit Fr.
Francisco Voxmedianus, qui ibat assignatus Conven-
tui Zamoren. — Dubitari autem non potest quo-

6

minus partita hujus Libri plenam probationem faciat adversus ipsos Religiosos per ea, quæ de similibus libris tradiderunt Decius cons. 147. num. 14. Riminald. jun. consil. 506. num. 19. Cardin. de Luca de judic. discess. 30. num. 5. Rota coram Burat. decif. 870. num. 5., O coram Martin. Andr. decif. 76. num. 3., O in recent. decif. 451. num. 4. par. 4., O dec. 222. num. 3. par. 11., O in Monasterie. Canoniciatus 17. Martij 1707. §. Insubsistens coram Illustriss. Gubernat. Urbis.

27 Præsertim probatio non tantum desumitur ex Libro, quantum ex Schedula ipsius Prioris ibi enunciata, quæ continet assignationem P. Voxmediano in Conventu Zamorense juncta auctoritate P. Procuratoris Generalis, qui partitam proprio charactere scriptit, unde concurrit auctoritas duorum Superiorum, nempe Prioris, & Procuratoris Generalis super hac assignatione, quibus sane Officialibus plena fides prestanta venit, & hinc majorem sumit vim probatio deducta ex hujusmodi libro per Text. in Can. Nobilissimus dist. 97., O in cap. ad audientiam de prescript. Rota decif. 510. num. 5. coram Emerix jun., O decif. 10. num. 12. coram Cavalier. O decif. 910. num. 8. coram Buratt., O decif. 427. num. 7. O 12. par. 18., & signanter concurrentibus testibus supra relatis, qui tamquam cū Libro concordantes adminiculantur, & librum respectivè adminiculant, juxta Text. in leg. Instrumenta Cod. de probat. Surd. decif. 105. nu. 5. O seqq., O coram Emerix jun. decif. 510. num. 3., O in recentior. decif. 225. num. 1., O 2. par. 10., O coram Benincasa decif. 362. num. 5.

28 Crescit vis probationis, quia Provincialis in sua Sententia declarando P. Voxmediano non habere votum in electione Prioris Vallis-Oletani assertum illum fuisse assignatum in Conventu Zamorense, seū non assignatum in Conventu Vallis-Oletano, ibi certioratus, quod Patres Lectores Fr. Franciscus Voxmedianus, O Fr. Joannes Antonius à Trinitate residentes in prefato Conventu ad illum tamen non assignati — cum non modicum adminiculum præstet assertio facta in Sententia per Provinciale super certioratione, quam ipse habere potuit ex Regestris Provinciae apud se existentibus, vel aliundē, nam licet Judici non credatur ad substaniam propriam Sententiam, juxta Text. in cap. Quoniam contra de probat., hoc tamen procedit, quando nullæ concurrunt probationes, & totum fundari prætenditur in ore Judicis, non autem quando sufficienes concurrunt probationes, quia tunc assertio Judicis semper illis adjungit pondus, & Justitia præsumptionem facit, quia semper pro Judge Jura præsumunt, l. i. in fine ff. ne Offic. Præsid. l., Miles §. Dicem ff. de re judicata, Menoch. cons. 100. num. 1., O seqq., Rota in Majoricen. Beneficij 1. Febr. 1709. §. finali coram R. P. D. Falconerto.

29. Observeo ulterius, quod post Sententiam Provincialis declaratoriam, ut supra, Vicarius, & Praeses electionis ad abundantiorem cautelam per modum positionis posuit, & interrogavit ipsum P. Voxmediano, cui Conventui assignatus foret, & quidem sub præcepto, & nihilominus ipse videndo,

quod imminebat electio die sequenti respondere recusavit, dicendo — se responsurum P. Provinciali — hæc autem recusatio, & renitentia in respondendo interrogationi Judicis, sine dubio malam præsumptionem ingedit, & rei quæsitæ veritatem ab interrogato cognitam demonstrat, per Text. in cap. 2. de confess. 1. in 6., Scacc. de Judic. cap. 7. numer. 476., O seqq., Michalor. de posit. cap. 61. nu. 25., sicut dicimus de occultante probationes, illaque impidente, ubi fit præsumptio contra illum, & probationes habentur pro factis, Card. de Luca de Judic. disc. 28. num. 28, Rota decif. 183. num. 7., O 10. coram Cerr., O in Mantuana bonorum 14. Januarij 1707. §. Quarto coram Reverendiss. D. Molines Decane.

30. Nil relevante, quod post factam electionem hora noctis P. Voxmediano respondendo, negaverit se fuisse assignatum Conventui Zamorense, hæc enim responsio re amplius non integra per acta non attenditur, maximè quia se remisit ad attestationem P. Magistri S. Roman, qui erat Prior tempore assignationis, qui potius testatus est ex ore P. Texedor tunc Procuratoris Generalis fuisse illum missum ad Conventum Zamorensem, & novissime 2. Iulij 1714. P. Texedor fecit arrestationem omnino sibi contrariam, dicendo, quod P. Voxmediano transiit ad Conventum Zamorensem absque aliqua assignatione, sed quod postea cum vellet permanere in Conventu S. Pauli, noluit hoc illi concedere P. M. San Roman Prior Conventus, quæ est contradictione manifesta, si enim non fuerat assignatus Conventui Zamorense, quomodo Prior poterat non concedere, quod remaneret in Conventu Vallis-Oletano, cui remanebat adhuc assignatus, ut de fide non præstanta Testibus sibi contrarijs videre. est apud Farinas. de Testib. quest. 65. num. 2. Rot. vec. 553. num. 5. part. 18. tom. 2. Rec., O coram Roya decif. 38. num. 6., O 7., & est Text. in cap. licet causam vers. sibi inuicem de probat.

31 Hoc posito nihil juvat exceptio Oppositorum, quod P. Voxmediano saltèm esset possessor Juris votandi in Capitulo Conventuali in electionibus precedentibus, idèoque excludi non posset ab electione, de qua agitur, alias eo excluso cassanda sit electio, ad terminos Textus in cap. Cum Ecclesia Sutrina de caus. possess., O propriet., etenim apud Me non videtur concurrere hujusmodi decantata possessio, aut enim hæc desumitur, ex quo Pater Voxmediano votaverit in electionibus P. Blanco, nec non P. Augustini Gutierrez, & suppositum non regit, quia tales electiones non habuerunt effectum, dum una fuit castata, & altera resoluta per non acceptationem Electi, ut quod tali casu non dicitur electio effectum sortita, docet Text. in cap. Si electio de elect. in 6., Panormitan. in cap. Cum de Vintonen. num. 13. de elect., electio autem quando est ineffectuata producere non potest quasi possessionem votandi, ad quem effectum requiritur, ut electio sit confirmata, & Electus obtinuerit possessionem Officij, seū Prioratus, ad quem fuit electus, ut in puncto Passerin. de elect. cap. 14. num. 28., O 29., ibi — ad hujusmodi quasi possessionem acquiri-

rendam. &c. plura requiruntur, nam requiruntur, quod ipse elegerit ex intentione habendi fūs eligendi, & quod admissus fuerit sciente, & patiente Collegio &c. & præterea necesse est, ut electio suum effectum sortita fuerit, ita ut electio fuerit confirmata, & Electus obtinuerit Ecclesiam illius electio- nis fure, —

32. Remanet ergo unicus tantum actus electionis Prioris, qui fuit electus in triennio præcedenti, & hic unicus actus ad nihil meo iudicio deservire potuit ad acquirendā quasi possessionem ea ratione, quod in hujusmodi Capitulo Convētuali non practi- catur libera admīssio Vocalium, sed antē electionē Præses nomine Capituli ad formam Constitutionū, quas legit, servat, & emittit protestationem illam, quæ registratur in Capitulo Cumana de elect., di- cendo scilicet, & ter repetendo alta voce, ibi — di- co primō, quod non, est mea intentio admittere ali- quem de jure non admittendum, neque excludere ali- quem de jure non excludendum, — cum autē hæc protestatio introducta fuerit præcisè ad hunc finem, non communicandi Extraneis de Capitulo Jus, & possessionem eligendi, sanè videre non possum quo- modo ex hoc unico actu sic protestato potuerit P. Voxmediano ullam acquirere quasi possessionem votandi, quia protestatio removet consensum ab actu, & deficere facit illud substantiale requisitum ad quasi possessionem acquitendam necessarium, nempe scientia, & patientia Capituli, ut per Barbos. in cap. Cum Ecclesia Sutrina num. 20. de caus. pos- sess. & propriet. Panormitan. in cap. Bonæ 4. de postul. Prælat. num. 20., ibique Bald. num. 15., & 16., Lavor. de elect. cap. 15. num. 11., Peregrin. de elect. cap. 14. num. 28.

33. In quibus terminis male applicata fuit de- cisio Text. in cap. cum Ecclesia Sutrina de caus. po- sess., & propriet. ubi secundum omnes Canonistas concurrebat positiva scientia, & patientia Canonici- corum Ecclesia Sutrinæ, qui Clericos Ecclesiastum inferiorum admiserant sine ulla protestatione ad le- cum votandum in tribus electionibus trium Episco- porum, sed benè his terminis applicatur decisio al- terius Textus litteralissima in cap. Cumana 50. de elect. ubi decernitur stante hujusmodi protestatione non acquiri quasi possessionem votandi, & casta fuit electio, quia votaverant, qui votare non debe- bant, ut distinguendo quando emissa, vel non emissa fuit protestatio firmat gloss. in dicto cap. Cumana in verbo protestatione ibi — sed valuit hic protesta- tio, ut patet in fine, alias si protestatio non præces- sisset, bene babuissent vocem in electione CUM ES- SENT IN QUASI POSSESSIONE INFRA DE CAUSA POSSESSION. CAP. CUM ECCLESIA &c., & ideo quod hic negabatur ab initio illos de- bere interesse, nec admittebant illos sine protestatio- ne &c. vox illorum non valuit NEC PROFUIT, QUOD INTERFVERUNT DUABUS ELECTIO- NIBUS ibique Panormit. num. 6. & sequent., Za- barell. versic. quare ibi — protestatio hic operetur, quod istis non prodest quasi possessio eligendi Joann. de Anan. num. 2. ibi — nota, quod non sufficit, quod probetur sola quasi possessio juris eligendi, nec ob-

stat CAP. CUM ECCLESIA INFRA DE CAUS. POSSES. ET PROPRIET, quia respondeo ut hic per Doctores, quod aliquando illi, qui sunt in quasi possessione excluduntur &c. aliquando admittuntur, & aliquando protestatione, & aliquando sine pro- testatione, primo casu habet vim cuiusdam spolia- tionis, ut cap. cum Ecclesia &c. secundo casu valet electio &c. tertio casu non prodest eis quasi possesso- nis probent titulum, ut hic in casu nostro.

34. Corruit ergo totum hoc suppositum de possessione P. Voxmediano, qua, stante protestatio- ne, impossibile est, quod acquiri potuerit in præju- dicium protestantium juxta punctuales Canonista- rum opiniones de quibus supra, & singularem de- cisionem Text. in cap. Cumana de elect., & gene- raliter, quod possessio sic protestata resistat, & im- pediat quasi possessionem tradiderunt Garz. de Be- nefic. part. 5. cap. 5. num. 65. Vivian. de jur. patron. part. 2. lib. 5. cap. 2. sub num. 12., Adden. ad Buratt. decis. 303. num. 16., Posth. de manut. observat. 32. num. 16., & sequent., Rot. cor. Gregor. decis. 412. num. 4. ubi quod tali casu probandum est in peti- torio, quod jus habeat sic admisus cum protesta- tione, ut explicat ibi Adden. num. 12., & Posth. ubi supra numer. 17. Rot. in Lauden. Canonicatus 3. Martij 1697. §. Eoque certius coram Eminentissi- mo D. Card. Tremoille.

35. Ex defectu igitur voluntatis Capituli P. Voxmediano non potuit ullam acquirere quasi pos- sessionem ex illo unico actu, sed multo magis con- currente defectu potestatis, illa enim protestatio de non admittendo aliquem de jure non admittendum practicatur de Jure, & secundum Constitutiones Ordinis, nequè aliter fieri potest ex defectu potes- tatis, cum nequeat Capitulum admittere Extraneū, illique communicare jus, & possessionem eligendi tamquam ipsi prohibitum veluti non Jure priva- to competens, sed ex Constitutionibus Apostolicis, & sic à Papa, ut bene probat Passerin. de elect. cap. 3. num. 35., & cap. 10. num. 27., & plenè à Sanct. Ubald. quodlibet regular. quodlibet. 12. dub. 7. nam. 1243. ibi — tertio quod sit de Corpore illius Collegij &c. vel de familia illius respectu Capituli Conven- tualis; undè nullus præter supradictos potest habere vocem in prefatis respectivè Capitulis, nec etiam de consensu omnium de Capitulo &c. cum in electio- ne fūs eligendi non veniat ex Jure Eligentium, sed à Sede Apostolica, nec consequenter conveniat, nisi cui eadem Sedes concederit.

36. Hinc descendit altera responsio ad malam applicationem Textus in cap. cum Ecclesia Sutrina de caus. possess., & propriet., quod nempe loqua- tur in casu ubi erat in facultate Capituli admittere extraneos ad eligendum, & ubi juvabat factum ad- missionis, & quasi possessio in tribus electionibus quæsita, secus quando Capitulum caret tali facul- tate admittendi extraneum, & adeo expressa Juris resistentia, tunc enim non juvat possessio, quæ di- citur mala fidei ob resistentiam Juris, & ideo substi- netur electio exclusis his postessoribus mala fidei, ut in puncto est Text. in cap. Constitutis 47. de elect. ubi Panormitan. sub num. 3. ita egregie discurrit

ibi — potest ergo intelligi, quod isti fundabant se super possessione petentes electionem cassari, ut posse factam eis exclusis, qui erant in possessione, & tunc ad contrarium respondeo. O. c., quod cum isti essent in bac possessione mala fide, quia fure resistente per rationes supra allegatas non tenebatur Capitulum ipsos vocare ad electionem, quia Possessor mala fidei nullum comitium potest habere, nec suffragium suum debet computari in numero aliorum — loquitur autem Panormitan. in casu allegati Textus de Monachis ratione possessionis prætendente habere suffragium in alio Conventu, à quo fuerat translatus ad alium.

37 Quodque in proposito non attendatur quævis possesso, sed requiritur, quod sit præscripta factem spatio 40. annorum bene ostendit Pafferin. de elect. cap. 3. num. 27., O. cap. 11. num. 14. ibi — qui est in possessione eligendi nedum non debet excludi ab electione, sed ut advertit gloss. in cap. in Genes. talis valide eligit §. Sed hoc dictum gloss. §. Non credo procedere universaliter, qui ad viuorem actus non sufficit possessio cum communii errore, sed ulterius requiritur titulus coloratus à legitimo Superiori collatus, idèo distinguendum est, nam ubi Elector est de Colegio / altem colorat, O. institutus est à legitimo Superiori, si sit in possessione pacifica eligendi valide eligit, sed ad hoc ut extranei non habentes titulum ad eligendum electio valeat non sufficit possessio, O. bona fides, O. communis error, nisi possessio sit legitimè præscripta, O. sit consuetudo — hoc ipsum, quod dicit Pafferinus litteralibus "erbis bene declaravit Panormitan. in dicto cap. constitutis de elect. sub num. 3. versc. secundo quia potest intelligi, & per hoc satisfactum credo huic objecto circa possessionem P. Voxmediano, & circa applicationem Text. in cap. cum Ecclesia Sutrina de caus. possess., O. propriet. cum præter Doctores supra relatos in præcis terminis hujus nostri casus habeamus in contrarium duas Decretales in cap. constitutis, O. cap. Cumana de elect. cum suis glossis.

38 Ex his corruit objectio, quod iste P. Voxmediano non esset excludendus, sed admittendus cum protestatione, quia procedit in Possessore bona fidei secundum terminos in quibus loquuntur omnes, & sic male applicatur Pafferin. de elect. cap. 14. num. 47. de Amente dubio, qui reperiatur in possessione uti Vocalis legitimus, bene evim hoc dicit, dum ille est legitimus Possessor, & legitimus Vocalis super quo dubium non cadit, & sola dubietas, est circa qualitatem dementia, quæ tendit ad privandum voce vocali de cætero legitimū Possessorem, hoc autem nihil applicatur ad illum, qui neque est assignatus in Conventu, neque habet ullā possessionem sive bonā, sive malā fidei tamquam impeditam acquiri ex protestatione de qua supra, hoc enim casu iste debet excludi, quia nulla ipsi sit injuria, cum non habeat titulum, neque possessionem manutenibilem, ut tradit Pafferin. de election. cap. 14. num. 44., O. 25. vers. circa eum.

39 Moveretur iste Auctor validissima ratione, distinguendo inter electionem, ubi nomina eligientium publicantur, & inter secretam, ubi non publi-

cantur, dicendo, quod quidquid sit in terminis electionis publica, ubi nullum sit præjudicium electoribus legitimis, ubi Elector dubius admittatur cum protestatione, ubi potest sciri, in quam partem abierte votum Electoris dubij, uniuersè in electione secreta, quæ ita fieri debet ex censura Sacri Concilij Tridentini Elector dubius, si certo non possidet, non debet admitti cum protestatione, quia fieret præjudicium legitimis Electoribus illorumque Electioni, dum quia sciri non potest in quem electum conspiceraverit votum Electoris dubij, constiçio apud confirmatorem, quod ille admitti non debebat, electione esset cassanda, ut præter Pafferin. ubi supra bene advertit, Filiue. oper. moral. tom. I. tract. 12. cap. 6. num. 15. 1. versc. quarto idem Pafferin. de elect. cap. 10. num. 79. vers. O. si elect. facta.

40 Verum ulcerius dico, quod ista praxis admittendi cum protestatione etiam Vocali dubium respectu tituli, sed Possessorem certum, habet locum respectu Eligientium, & Capituli, quod facultatem non habet auctoritate privata excludendi hunc Possessorem, in quibus terminis loquitur Panormitan. in cap. Cumana num. 2. de elect. , Pafferin. de elect. cap. 14. num. 32. ibi — Non est ergo de facto sine fidicis decreto possessione spoliandus O. c., O. est propria in sua possessione manutenendus donec per fidicem aliter decernatur — nullatenus autem praxis ista intelligitur, aut locum habet contra Judicem, ut in prætenti, ubi Provincialis per Sententiam pronunciavit P. Voxmediano votum non habere, hoc enim nedum licitum est, sed necessarium, nam ante electionem facienda est legitimatio Vocalium per Præsidem, vel alium Superiori juxta ea, quæ tradit Pafferin. de elect. cap. 14. num. 5. 1. 75. a Sact., Ubald. quilibet regular. dub. 6. num. 1227. Peyrin. in formul. litt. C. cap. 3. num. 10. , Murga de Constitut. apost. constit. 6. num. 666.

41 Ridiculum autem foret dicere, quod Præses Capituli, vel Superior deberet clausis oculis tollerare, quod omnes, & quicumque volunt, se intrudere possent ad votandum in Capitulo, nec Superiori licitum foret inquirere de qualitatibus necessariis ad eligendum, & an ille, vel ille habeat vel tem nuptiale; Præscindendo enim ab altero diverso articulo circa Vocales legitimis requisitis indutos, sed tamen quibus opponitur aliquod crimen, quod inducat privationem vocis, ubi agitur de Jure quæsto tollendi, & quæ dicitur inhabilitas culpabilis, & poenalis, ego loquor de legitimatione Vocalium circa conditiones de jure necessarias, quibus non probatis non potest quis esse Vocalis, quæ dicitur inhabilitas substantialis prout est videre, an quis habeat legitimam ætatem, an sit Sacerdos, vel Subdiaconus, sive, ut in proposito an sit de gremio Capituli, nempè in Conventu assignatus, in hoc enim casu Præses Capituli debet inquirere an qui prætentit votare, sit de corpore Capituli, & habeat assignationem in Conventu, ut bene distinguit, & probat Pafferin. de elect. cap. 14. num. 45. cum sequent. ibi — ratione de quibus delicti dubij, aut pœna dubia nullus excludendus est à voce activa O. c. quia Elector dubius, excommunicatus, aut delinquens, alias

22. Si autem, & bene dubitari potest, quod illimer sex Religiosi; qui deinde appellarunt non sint audiendi quando acceptarunt Electum, ac simul intra decendij limites non appellaruat, juxta literalem decisionem *Text.* in *capit.* nulli licere de elect. in 6. *Lezzan.* dicta consultat. 53. num. 81. & seqq. & plenè ego scripsi disceptat. *Eccles.* 24. num. 35. *Castellin.* de elect. cap. 5. num. 30. , *Passerin.* cap. 32. num. 24. quid sanè dicendum erit respectu P. Voxmediano, qui ratificavit, ut suprà electionem, & acceptavit Electum, sed tamè postea non variavit voluntatem, nec appellavit, ut quamvis intempestivè fecerunt sex illi Religiosi, & in fortioribus docer *Text.* in leg. *Imperatores* in fine ff. de decurion. , *Lezzan.* oper. moral. tom. 4. dicta consultat. 53. num. 86. , & seqq. & concordat optimus *Text.* in cap. concertationi de elect. in 6. ubi de illo, qui non appellavit intra decendium ab electionibus, & quibuslibet alijs actibus, immò his consensit, quod amplius audiri non poscit, quem *Textum* ponderat *Lezzan.* dicta consultat. 53. num. 78. tom. 4.

23. Neque obstare puto unicum Oppositorum refugium consistens in quadā attestatione Fr. Joannis Martinez, qui se intitulando Secretarium electionis Capituli Conventualis deponit, quod P. Voxmediano simul cum alijs præventivè appellaverint ex nunc pro tunc etiam ab ipsa confirmatione electionis facienda per Provinciale, ut in *Summario oppositorum* num. 1. litt. DD. nescio enim, quot fuerint Secretarij hujus Capituli Conventualis, dum lego in *Summario Villamendos* num. 25., quod legitimus Secretarius fuit Fr. Emmanuel de Burgos, ergo si iste fuit Secretarius, consequens est, falsum esse nomen Secretarij, quod sibi usurpavit Fr. Joannes Martinez, qui mihi supponitur esse unum ex adherentibus ad opponendum electioni, si autem verum est, quod iste falso se intitulaverit Secretarium, nulla fides prætari poterit suæ attestationi de cætero extrajudiciali, & extra limites proprij officij, dum habet contra se relationem legitimi Secretarij, & mendacium, cum quo se intitulavit Secretarium, demit illi fidem in omnibus, que ad complacentiam attestari voluit, juxta *Text.* in *Caz.* Pura 3. quæst. 9. , ibi — plerunque testis, dum ad seriem gestorum aliquid ex suo alijicit, totam Testimonij fidem Partis mendacio decolorat — & tradunt *Bald.* in leg. si ex falsis num. 15. Cod. de transact. Rota coram Carill. decis. 186. num. 11. , & in Giennen. Adjunctorum 27. Martij 187. §. Vel quatenus coram Reverendiss. D. Molines Decano.

24. Sed quando præcisivè ab hoc insuperabili, & hactenus relato fundamento descendendum foret ad examinandum an bene, vel male P. Voxmediano fuerit declaratus non habere votum, sive exclusus ab electione (que necessitas hic non concurrit ex prædictis) adhuc bene discussis circumstantijs crederem, hunc Religiosum fuisse legitimè exclusum, & bene fuisse sententiatum per Provinciale, quod ipse votum non haberet, & hoc erit secundum fundamentum, quod assumo.

25. Ratio inclinandi in hunc sensum desumitur ex illo principio, quod ad effectum votandi, seu

eligendi in Capitulo debet Vocalis habere conditiones, & qualitates necessarias, quæ ex lege, vel Statuto requiruntur, & quibus deficientibus dicitur extraneus ab ipso Collegio, seu Capitulo, ideoque cum P. Voxmediano non esset assignatus in Conventu Sancti Pauli, & consequenter non esset de Corpore Capituli, sed extraneus justè declaravit. Provincialis illum non habere votum, & justissime fuit ab electione exclusus, hoc autem requisitum assignationis in Conventu statutarium est in hac Religione, prout secundum ejus Constitutiones Frater assignatus in uno Conventu non habet vocem in electione alterius Conventus, quemadmodum videtur est in Constitutionibus Ordinis dist. 2. sub lit. Q. titul. de elect. Prioris Conventual. *Castellin.* de elect. cap. 4. num. 3. *Passerin.* eodem tractat. cap. 3. num. 50. & seqq. , & num. 60. , & cap. 10. à num. 26. ; & 11. ac etiam de jure est, ut jus eligendi pertineat ad eos tantum Religiosos illius Conventus cui sunt assignati, & de cujus Corpore existunt, juxta *Text.* in cap. 1. de elect. , & in cap. cum dilectus de consuetud. *Rota* decis. 65. num. 5. part. 1. recentior. *Passerin.* de elect. cap. 10. num. 24. Cum itaque P. Voxmediano esset assignatus in Conventu Zamorense, utique non poterat habere votum in Capitulo Conventuali Sancti Pauli tamquam extraneus, ut est *Text.* apertus in cap. constitutis 47. ubi *Gloss.* in verb. vocem in Capitulo de elect. ubi quod Monachus ad alterum Monasterium translatus non potest habere vocem in Capitulo Prioris Monasterij etiam de consensu ejus Abbatis, & Monachorum ubi *Panormitan.* num. 3. *Butr.* num. 10. , ibi — *Quia non potest Monachus tenere locum in duabus Monasterijs* — *Gonzal.* num. 7. ubi quod Monachus ad aliud Monasterium translatus — *non admittitur tamquam extraneus ad electionem* *Prælati prioris Monasterij* , & concordat *Textus* apertissimus in cap. ne nimia de relig. domib. , ibi — illud etiam prohibemus, ne quis in diversis Monasterijs locum Monaci habere præsumat — sequuntur *Lavor.* de elect. cap. 15. nu. 81. *Passerin.* de elect. cap. 10. nu. 26.

26. Quod autem P. Voxmediano esset assignatus in Conventu Zamoren. probari videtur ex pluribus. Primo scilicet ex depositionibus Testium, qui jurarunt fuisse illum assignatum ad Conventum Zamoren. , & in illo stetisse per unum annum, & ultra, & alij etiam deponunt de confessione ipsis facta ex ore ipsius Religiosi assignati. Secundo resultat ex quodam Libro Operis Pij relieti per Reverendiss. Bajona circa subministrandum Viaticum Religiosis exentibus ē Conventu Vallis Oletano ad alios Conventus, in quo Libro registrantur partitæ Vaticorum, quæ solvuntur Religiosis ad alium Conventum assignatis charactere P. Procuratoris Generalis, neque solvuntur Vatica, nisi post quam fuit facta assignatio, & hæc notificata Conventui Vallis Oletano insuper prævia Schedula Prioris ipsius Conventus testantis de assignatione jam facta. In hoc autem Libro scripta reperitur hæc partita, ibi — *Tali die cum Schedula P. Prioris dedi 24. regalia Fr. Francisco Voxmediano, qui ibat assignatus Conventui Zamorense* — Dubitari autem non potest quo-

minus partita hujus Libri pleham probationem faciat aduersus ipsos Religiosos per ea, quæ de similibus libris tradiderunt Decius conf. 147. num. 14. Rinaldi jun. consil. 506. num. 19. Cardin. de Luca de judic. discurs. 30. num. 5. Rota coram Burat. decis. 870. num. 5., & coram Martin. Andr. decis. 76. num. 3., & in recent. decis. 451. num. 4. par. 4., & dec. 222. num. 3. par. 11., & in Monasterien. Canonicius 17. Martij 1707. §. Insubsistens coram Illustriss. Gubernat. Urbis.

27. Præsertim probatio non tantum desumitur ex Libro, quantum ex Schedula ipsius Prioris ibi enunciata, quæ continet aſſignationem P. Voxmedianio in Conventu Zamorensi jncta auctoritate P. Procuratoris Generalis, qui partitam proprio charactere scripsit, unde concurrit auctoritas duorum Superiorum, nempè Prioris, & Procuratoris Generalis super hac aſſignatione, quibus sanè Offiſialibus plena fides preſtanda venit, & hinc majorem ſumit vim probatio deducta ex hujusmodi libro per Text. in Can. Nobilissimus difſ. 97., & in cap. ad audientiam de præscript. Rota decis. 510. num. 5. coram Emerix jun., & decis. 10. num. 12. coram Cavaler. & decis. 910. num. 8. coram Buratt., & decis. 427. num. 7. & 12. par. 18., & signantur concurrentibus testibus ſupra relatis, qui tamquam cū Libro concordantes adminiculantur, & librum reſpectivè adminiculant, juxta Text. in leg. Inſtrumenta Cod. de probat. Surd. decis. 105. num. 5. & seqq., & coram Emerix jun. decis. 510. num. 3., & in recentior. decis. 225. num. 1., & 2. par. 10., & coram Benincasa decis. 362. num. 5.

28. Crefcit vis probationis, quia Provincialis in ſua Sententia declarando P. Voxmedianio non habere votum in electione Prioris Vallis Oletani aſſeruit illum fuille aſſignatum in Conventu Zamoreni, ſeu non aſſignatum in Conventu Vallis Oletano, ibi certioratus, quod Patres Lectores Fr. Franciſcus Voxmedianus, & Fr. Joannes Antonius a Trinitate residentes in præfato Conventu ad illum tamen non aſſignati — cum non modicum adminiculum præſtet aſſertio facta in Sententia per Provinciale ſuper certioratione, quam ipse habere potuit ex Regestris Provinciae apud ſe exiſtentibus, vel aliunde, nam licet Judici non credatur ad ſubſtinendam propriam Sententiam, juxta Text. in cap. Quoniam contra de probat., hoc tamè proceſdit, quando nullæ concurrunt probationes, & totum fundari prætendit in ore Judicis, non autem quando ſufficientes concurrunt probationes, quia tunc aſſertio Judicis ſemper illis adjungit pondus, & Juſtitia præſumptionem facit, quia ſemper pro Judice Jura præſumunt, l. i. in fine ff. ne Offic. Praſid. l., Miles §. Ducem ff. de re iudicata, Menoch. conf. 100. num. 1., & seqq., Rota in Majoricen. Beneficij 1. Febr. 1709. §. finali coram R. P. D. Falconero.

29. Oblervo ulterius, quod post Sententiam Provincialis declaratoriam, ut ſuprà, Vicarius, & Præſes electionis ad abundantiorem cauthelam per modum positionis poſuit, & interrogavit ipſum P. Voxmedianio, cui Conventui aſſignatus foret, & quidem ſub præcepto, & nihilominus ipſe videndo,

quod intimebat electio die ſequenti respondere recuſavit, dicendo — ſe reſponſarum P. Provinciali — hæc autem recuſatio, & renitentia in reſpondendo interrogatiōni Juſticis, fine dubio malam præſumptionem ingent, & rei quaſita veritatem ab interrogato cognitam demonſtrat, per Text. in cap. 2. de conf. 1. in 6., Scacc. de Juſtic. cap. 7. numer. 476., & ſeqq., Michalor. de poſit. cap. 61. nu. 25., ſicut dicimus de occultante probationes, illaque impediente, ubi fit p̄alun p̄to contra illum, & probationes habentur pro factis, Card. de Luca de Juſtic. diſc. 28. num. 28, Rota decis. 183. num. 7., & 10. coram Cerr., & in Mantuana bonorum 14. Januarij 1707. §. Quarto coram Reverendiss. D. Molines Decane.

30. Nil relevante, quod poſt factam electio- nem hora noctis P. Voxmedianio reſpondendo, ne- gaverit ſe fuille aſſignatum Conventui Zamoreni, hæc enim reſponſio re amplius non integra per acta non attenditur, maximè quia ſe remiſit ad atteſationem P. Magistri S. Roman, qui erat Prior tem- pōre aſſignationis, qui potiū teſtatus eſt ex ore P. Texedor tunc Procuratoris Generalis fuille illum miſſum ad Conventum Zamorenſem, & noviſſimè 2. Iulij 1714. P. Texedor fecit arreſtationem omniō ſiōi contraria, dicendo, quod P. Voxmedia- no transviſit ad Conventum Zamorenſem, absque aliqua aſſignatione, ſed quod poſteā cum vellet per- manere in Conventu S. Pauli, noluit hoc illi con- cedere P. M. San Roman Prior Conventus, quæ eft contradictione maniſta, ſi enim non fuerat aſſigna- tus Conventui Zamoreni, quomodo Prior poterat non concedere, quod remaneret in Conventu Val- lis Oletano, cui remanebat adhuc aſſignatus, ut de fide non preſtanda Testibus ſibi contrarijs videre eſt apud Farinas. de Testib. quaſt. 65. num. 2. Rot. vec. 553. num. 5. part. 18. tom. 2. Rec., & coram Roya. decis. 38. num. 6., & 7., & eſt Text. in cap. licet cauſam veri ſibi inuicem de probat.

31. Hoc poſito nihil juvat exceptio Oppoſitorum, quod P. Voxmedianio ſaltē eſtet poſſeſſor Juris votandi in Capitulo Conventuali in elec- tionibus preceedentibus, ideoque excludi non poſſet ab electione, de qua agitur, aliaſ eo exeluſo caſſanda ſit electio, ad terminos Textus in cap. Cum Ec- cleſia Sutrina de cauſ. poſſeff., & propriet., etenim apud Me non videtur concurrere hujusmodi decan- tata poſſeſſio, aut enim hæc deſumitur, ex quo Pa- ter Voxmedianio votaverit in electionibus P. Blan- co, nec non P. Augustini Gutierrez, & ſuppoſitum non regit, quia tales electiones non habuerunt ef- fectum, dum una fuit caſtata, & altera reſoluta per non acceſſationem Electi. ut quod tali cauſa non di- catur electio effectum ſortita, docet Text. in cap. Si- electio de elect. in 6., Paroſmitan. in cap. Cum de Vintonen. num. 13. de elect., electio autem quando eft ineffectuata producere non poſteſt quaſi poſſeſſionem votandi, ad quem effectum requiritur, ut electio ſit conſirmata, & Electus obtinuerit poſſeſſionem Officij, ſeu Prioratus, ad quem fuit electus, ut in puncto P. Aſſerit. de elec. cap. 14. num. 28., & 29., ibi — ad bujuſmodi quaſi poſſeſſionem acqui- ren-

rendam &c. plura requiruntur, nam requiruntur, quod ipse elegerit ex intentione habendi Jus eligendi, & quod admissus fuerit sciente, & paciente Collegio &c. & preterea necesse est, ut electio suum effectum sortita fuerit, ita ut electio fuerit confirmata, & Electus obtinuerit Ecclesiam illius electionis fure. —

32. Remanet ergo unicus tantum actus electionis Prioris, qui fuit electus in triennio praecedenti, & hic unicus actus ad nihil meo judicio deservire potuit ad acquirendā quasi possessionem ea ratione, quod in hujusmodi Capitulo Convētuali non practicatur libera admīsio Vocalium, sed antē electionē Præses nomine Capituli ad formam Constitutionū, quas legit, servat, & emittit protestationem illam, quæ registratur in Capitulo Cumana de elect., dicenscendo scilicet, & ter repetendo alta voce, ibi — dico primō, quod non est mea intentio admittere aliquem de jure non admittendum, neque excludere aliquem de jure non excludendum, — cum autem hæc protestatio introducta fuerit præcisè ad hunc finem, non communicandi Extraneis de Capitulo Jus, & possessionem eligendi, sanè videre non possum quomodo ex hoc unico actu sic protestato potuerit P. Voxmediano ullam acquirere quasi possessionem votandi, quia protestatio removet consensum ab actu, & deficere facit illud substantiale requisitum ad quasi possessionem acquirendam necessarium, nempe scientia, & patientia Capituli, ut per Barbos. in cap. Cum Ecclesia Sutrina num. 20. de caus. poss. & propriet. Panormitan. in cap. Bonæ 4. de postul. Pralat. num. 20., ibique Bald. num. 15., & 16., Lavor. de elect. cap. 15. num. 11., Peregrin. de elect. cap. 14. num. 28.

33. In quibus terminis male applicata fuit decisio Text. in cap. cum Ecclesia Sutrina de caus. poss., & propriet. ubi secundum omnes Canonistas concurrebat positiva scientia, & patientia Canonorum Ecclesiæ Sutrinæ, qui Clericos Ecclesiarum inferiorum admirant sine ulla protestatione ad secundum votandum in tribus electionibus trium Episcoporum, sed bene his terminis applicatur decisio alterius Textus litteralissima in cap. Cumana 50. de elect. ubi decernitur stante hujusmodi protestatione non acquiri quasi possessionem votandi, & caslata fuit electio, quia votaverant, qui votare non debebant, ut distinguendo quando emissa, vel non emissa fuit protestatio firmat gloss. in dicto cap. Cumana in verbo protestatione ibi — sed valuit hic protestatio, ut patet in fine, alias si protestatio non præcessisset bene babuissent vocem in electione CUM ESSENT IN QUASI POSSESSIONE INFRA DE CAUSA POSSESSION. CAP. CUM ECCLESIA &c., & ideo quod hic negabatur ab initio illos debere interesse, nec admittebant illos sine protestatione &c. vox illorum non valuit NEC PROFUIT, QUOD INTERFUEUNT DUABUS ELECTORIBUS ibique Panormit. num. 6. & sequent., Zabarell. versic. quare ibi — protestatio hic operetur, quod istis non prodest quasi possessio eligendi Joann. de Anan. num. 2. ibi — nota, quod non sufficit, quod probetur sola quasi possessio Juri eligendi, nec ob-

stat CAP. CUM ECCLESIA INFRA DE CAUS.⁷
POSSES. ET PROPRIET. quia respondeo ut hic per Doctores, quod aliquando illi, qui sunt in quasi possessione excluduntur &c. aliquando admittuntur, & aliquando protestatione, & aliquando sine protestatione, primo casu habet vim cuiusdam (potest) ut cap. cum Ecclesia &c. secundo casu valet electio &c. tertio casu non prodest eis quasi possessio, nisi probent titulum, ut hic in casu nostro.

34. Corruit ergo totum hoc suppositum de possessione P. Voxmediano, quæ, stante protestatione, impossibile est, quod acquiri potuerit in præjudicium protestantium juxta punctuales Canonistarum opiniones de quibus supra, & singularem decisionem Text. in cap. Cumana de elect., & generaliter, quod possessio sic protestata resistat, & impedit quasi possessionem tradiderunt Garz. de Benef. part. 5. cap. 5. num. 55. Vivian. de jur. patron. part. 2. lib. 5. cap. 2. sub num. 12., Adden. ad Buratt. decis. 303. num. 16., Posth. de manut. observat. 32. num. 16., & sequent., Rot. cor. Gregor. decis. 412. num. 4. ubi quod tali casu probandum est in petitorio, quod jus habeat sic admissus cum protestatione, ut explicat ibi Adden. num. 12., & Posth. ubi supra numer. 17. Rot. in Lauden. Canonicatus 3. Martij 1697. §. Eoquè certius coram Eminentissimo D. Card. Tremoille.

35. Ex defectu igitur voluntatis Capituli P. Voxmediano non potuit ullam acquirere quasi possessionem ex illo unico actu, sed multo magis concurrente defectu potestatis, illa enim protestatio de non admittendo aliquem de jure non admittendum practicatur de Jure, & secundum Constitutiones Ordinis, nequè aliter fieri potest ex defectu potestatis, cum nequeat Capitulum admittere Extraneū, illique communicare jus, & possessionem eligendi tamquam ipsis prohibitum veluti non Jure privato competens, sed ex Constitutionibus Apostolicis, & sic à Papa, ut bene probat Pafferin. de elect. cap. 3. num. 35., & cap. 10. num. 27., & plenè à Sanct. Ubald. quodlibet. regular. quodlibet. 12. dub. 7. num. 1243. ibi — tertio quod sit de Corpore illius Collegij &c. vel de familia illius respectu Capituli Convenitualis; undè nullus præter suos dictos potest babere vocem in prefatis respectivè Capitulis, nec etiam de consensu omnium de Capitulo &c. cum in electione Jus eligendi non veniat ex Jure Eligentium, sed à Sede Apostolica, nec consequenter conveniat, nisi cui eadem Sedes concesserit.

36. Hinc descendit altera responsio ad malam applicationem Textus in cap. cum Ecclesia Sutrina de caus. poss., & propriet., quod nempe loquatur in casu ubi erat in facultate Capituli admittere extraneos ad eligendum, & ubi juvabat factum admissionis, & quasi possessio in tribus electionibus quæsita, secus quando Capitulum caret tali facultate admittendi extraneum, & adeit expressa Juris resistentia, tunc enim non juvat possessio, quæ dicitur malæ fidei ob resistentiam Juris, & ideo subtiliter electio exclusis his possessoribus malæ fidei, ut in puncto est Text. in cap. Constitutis 47. de elect. ubi Panormitan. sub num. 3. ita egregie discurrerit

ibi — potest ergo intelligi, quod isti fundabant se super possessione petentes electionem cassari, ut potè factam eis exclusis, qui erant in possessione, & tunc ad contrarium respondeo &c., quod cum isti essent in hac possessione reala fide, quia fure resistente per rationes supra allegatas non tenebatur Capitulum ipsos vocare ad electionem, quia Possessor male fidei nullum commodum potest habere, nec suffragium suum debet computari in numero aliorum — loquitur autem Panormitan. in casu allegati Textus de Monacho ratione possessionis prætendente habere suffragium in alio Conventu, à quo fuerat translatus ad alium.

37 Quidque in proposito non attendatur quævis posseisso, sed requiratur, quod sit præscripta saltem spatio 40. annorum bene ostendit Pafferin. de elect. cap. 3. num. 27., & cap. 11. num. 14. ibi — qui est in possessione eligendi nedum non debet excludi ab electione, sed ut advertit gloss. in cap. in Genes. talis valide eligit §. Sed hoc dictum gloss. §. Non credo procedere universaliter, quia ad valorem actus non sufficit possessio cum communii errore, sed ulterius requiritur titulus coloratus a legitimo Superiori collatus, ideo distinguendum est, nam ubi Elector est de Collegio / altem coloratè, & institutus est a legitimo Superiori, si sit in possessione pacifica eligendi valide eligit, sed ad hoc ut extranei non habentes titulum ad eligendum electio valeat non sufficit possessio, & bona fides, & communis error, nisi possessio sit legitime præscripta, & sit consuetudo — hoc ipsum, quod dicit Pafferinus litteralibus verbis bene declaravit Panormitan. in dicto cap. constitutis de elect. sub num. 3. versic. secundo quia potest intelligi, & per hoc satisfactum credo huic objecto circa possessionem P. Voxmediano, & circa applicationem Text. in cap. cum Ecclesia Sutrina de caus. possess., & propriet. cum præter Doctores supra relatios in præcis terminis hujus nostri casus habeamus in contrarium duas Decretales in cap. constitutis, & cap. Cumana de elect. cum suis glossis.

38 Ex his corruit objectio, quod iste P. Voxmediano non esset excludendus, sed admittendus cum protestatione, quia procedit in Possessore bona fidei secundum terminos in quibus loquuntur omnes, & sic male applicatur Pafferin. de elect. cap. 14. num. 47. de Amente dubio, qui reperiatur in possessione uti Vocalis legitimus, bene evum hoc dicit, dum ille est legitimus Possessor, & legitimus Vocalis super quo dubium non cadit, & sola dubietas, est circa qualitatem dementiae, quæ tendit ad privandum voce vocali de cætero legitimū Possessorem, hoc autem nihil applicatur ad illum, qui neque est assignatus in Conventu, neque habet ullam possessionem sive bonæ, sive malæ fidei tamquam impedimentum acquiri ex protestatione de qua supra, hoc enim casu iste debet excludi, quia nulla ipsi sit injuria, cum non habeat titulum, neque possessionem manutenibilem, ut tradit Pafferin. de election. cap. 14. num. 44., & 25. vers. circa eum.

39 Movetur iste Auctor validissima ratione, distinguendo inter electionem, ubi nomina eligientium publicantur, & inter secretam, ubi non publi-

cantur, dicando, quod quidquid sit in terminis electionis publicæ, ubi nullum sit præjudicium electoribus legitimis, ubi Elector dubius admittatur cum protestatione, ubi potest sciri, in quam partem abi-erit votum Electoris dubij, utique in electione se-creta, quæ ita fieri debet ex censura Sacri Concilij Tridentini Elector dubius, si certo non possidet, non debet admitti cu protestatione, quia fieret præ- judicium legitimis Electoribus illorūque Electioni, dum quia sciri non potest in quem electum conspi- raverit votum Electoris dubij, constito apud con- firmatorem, quod ille admitti non debebat, electio esset cassanda, ut præter Pafferin. ubi supra bene advertit, Filiac. oper. moral. tom. I. tract. 12. cap. 6. nu. 151. versic. quarto idem Pafferin. de elect. cap. 10. num. 79. vers. & select. facta.

40 Verum ulterius dico, quod ista praxis ad-mittendi cum protestatione etiam Vocalem dubiu respectu tituli, sed Possessorem certum, habet locum respectu Eligentium, & Capituli, quod facultatem non habet auctoritate privata excludendi hunc Pos- sessorem, in quibus terminis loquitur Panormitan. in cap. Cumana num. 2. de elect., Pafferin. de elect. cap. 14. num. 32. ibi — Non est ergo de facto sine Ju- dicis decreto possessione spoliandus &c., & est prop- terea in ea possessione manutenendas donec per Ju- dicem aliter decernatur — nullatenus autem praxis ita intelligitur, aut locum habet contra Judicem, ut in præfenti, ubi Provincialis per Sententiam pronunciavit P. Voxmediano votum non habere, hoc enim nedum licitum est, sed necessarium, nam ante electionem facienda est legitimatio Vocalium per Præsidem, vel alium Superiori juxta ea, quæ tradit Pafferin. de elect. cap. 14. nu. 51. 75. à Sact., Ubald. quilibet regular. dub. 6. num. 1227. Peyrin. in formul. litt. C. cap. 3. num. 10., Murga de Con- stitut. apost. constit. 6. num. 666.

41 Ridiculum autem foret dicere, quod Præses Capituli, vel Superior deberet clausis oculis tol-lerare, quod omnes, & quicumque volunt, se intru-dere possint ad votandum in Capitulo, nec Su-periori licitum foret inquirere de qualitatibus neces-sarijs ad eligendum, & an iste, vel ille habeat vester nuptiale; Præscindendo enim ab altero diverso articulo circa Vocales legitimis requisitis induitos, sed tamen quibus opponitur aliquod crimen, quod in-ducat privationem vocis, ubi agitur de Jure quæsi-to tollendi, & quæ dicitur inhabilitas culpabilis, & pœnalis, ego loquor de legitimatione Vocalium circa conditiones de jure necessarias, quibus non probatis non potest quis esse Vocalis, quæ dicitur inhabilitas substantialis prout est videte, an quis ha-beat legitimam ætatem, an sit Sacerdos, vel Subdiaconus, sive, ut in proposito an sit de gremio Capitu-li, nempe in Conventu assignatus, in hoc enim casu Præses Capituli debet inquirere an qui præten-dit votare, sit de corpore Capituli, & habeat asig-nationem in Conventu, ut bene distinguat, & probat Pafferin. de elect. cap. 14. num. 45. cum sequent. ibi — ratione de quibus delicti dubij, aut pœnae du-bie nullus excludendus est a voce activa &c. quia Elector, dubius, excommunicatus, aut delinquens, alias

alias est in possessione electionis, quia si illi deficeret aliquid per quod non esset de Collegio Electorum jam esset ejiciendus etiam si non esset excommunicatus, aut delinquens &c. unde duplex habilitas, & inhabilitas distinguuntur debet, alia est substantialis, que consurgit ex eo quod quis habet, vel non habet conditiones a fure requisitas, & quae unico verbo illam exprimendo consistere dicitur in hoc, quod quis sit de Collegio Electorum, unde habilis dicatur, qui est de Collegio, & inhabili, qui non est de Collegio, quia verbi gratia, vel non habet usum rationis &c. vel non est Subdiaconus, aut Sacerdos &c. aut in Conventu electionis assignatus hujusmodi enim est substantialiter inhabilis, quia non habet conditiones, quas fura requirunt tamquam substantia ad hoc ut aliquis sit Elector, sed alia est habilitas, & inhabilitas culpabilis, & penal, quae in carentia delicti, aut in delicto, & pena delicti consistit &c. assertio posita intelligi debet de habilitate, & inhabilitate substantiali.

42 Proinde non applicatur Constitutio Ordinis Cap. 16. Text. q. ubi instanti electione nullus potest sententialiter privari voce activa, vel passiva, nisi ob causas contentas in Cap. de graviori culpa, loquitur enim de privandis legitimis vocalibus sua voce propter inhabilitatem culpabilem, & penalem ratione delicti, nunquam vero somniavit loquide inhabilitate substantiali in qua consistit legitimatio Vocalium facienda per Praesidem, ubi non dicitur quis privari voce, quam habet, sed dicitur impediri, ne acquirat vocem, quam non habet ex defectu conditionum necessiarum, quas Jura requirunt ad votandum, & quae conditiones sunt probanda per illum, qui votare pretendit, quia non presumuntur juxta Parorm. in cap. postquam n. 7. de elect., Pafferin. dicto cap. 14. num. 45. ibi — conditiones requisite ad vocem activam, ut plurimum sunt extrinsecæ, quae non presumuntur, sed probari debent.

43 Clarum est igitur quod etiam Possessor potest excludi ab electione per Sententiam Judicis, quando non docet de requisito necessario, aut quod habeat titulum assignationis, aut quod reperiatur in quasi possessione prescripta per consuetudinem, que bonam fidem inducit cum titulo colorato ut praeter auctoritates supra relatas tradit Gonz. in capit. Constitutis num. 7. in fine de elect., ubi respondet ad Textum in cap. cum Ecclesia Sutrina, & ratio est evidens, nam alias admittendo etiam cum protestatione Vocales destitutos titulo legitimo conditionum necessiarum esset precipitare omnes electiones secretas, dum electio esset semper postea cassanda, in qua votasset Possessor mala fidei, immo etiam bona, ut ait Pafferin. de Elect. dict. cap. 3. n. 27. ibi — Igitur in hac parte non est disserimen, an aliquis sine proprietate, & veritate actu bona, vel mala fide possidat fuisse eligendi, sed utrobique ubi non constet Possessores non habere proprietatem juris eligendi electio eorum est substituenda, & ubi constet eos non habere hanc proprietatem electio est cassanda etiam si essent Possessores bona fidei, quia licet essent Possessores de facto non erant de fure, nec erant viri Domini ideo ad valorem electionis, seu ad

valorem suffragii praestiti per Electorem non sufficit, quod Elector sit possessor bona fidei, sed quod vel à lege, vel ex consuetudine legitime prescripta habeat proprietatem, & verum dominium juris eligendi — hoc etiam dicit Text. in cap. Cumana de elect., & Glos. in cap. in Genesi in verb. Possessione de elect., quod sane absurdum mili videtur nequam in iure admittendum, ex quo secundum Oppositorum assumptum non admittere Electorem titulo destitutum licet mala fidei Possessorem, sed illum excludere esset dare causam cassandi electionem ad instantiam exclusi, admittere autem cum protestatione nihil pariter juvaret, quia in electionibus secretis, ubi sciri non potest, cuius favore votaverit Vocalis protestatus, juxta ea, quae scripsi discipit. Eccles. 4. num. 122. etiam admissio huc cum protestatione non impediret cassationem electionis, dum constito apud Confirmatorem, quod in electione votaverit, qui votare non debebat electio esset adhuc cassanda propter incertitudinem au Vocalis illegitimus suffragatus fuerit Electo per maiorem partem, vel potius alteri per minorem electo, juxta doctrinam Filisc. supra citatam oper. moral. tom. 1. tract. 12. cap. 6. num. 151. vers. quanto, Pafferin. de elect. cap. 10. n. 79. vers. & si electione.

44 Firmum igitur remanet, quod etiam Possessor potuit per Sententiam Judicis, seu Provincialis declarari inhabilis ad votandum ex defectu conditionis necessariae ut esset assignatio in Conventu, ut de Praeside Capituli, vel alio Judice tradunt Pafferin. de elect. cap. 14. num. 52. vers. Et possidentes, & cap. 10. n. 127., 130., & 139., & cap. 3. num. 30., Pellizzar. in manual. tom. 2. tract. 9. cap. 2. seb. 2. num. 86., & 87. Lezzan. in Summ. quæst. regul. part. 2. tit. de Capitul., & Congreg. regul. cap. 12. num. 30., & sic licet vocales nequeant excludere Possessorem eorum auctoritate privata, sed teneantur admittere cum protestatione id tamen non procedit, quando Judex per sententiam declarat Possessorem nullum Jus habere, ut distinguit Parorm. in cap. Cum Vintonen. n. 14. in fine de elect. Innocent. ibidem n. 6. vers. Et si objicias, eo magis quando P. Voxmediano nullatenus erat possessor, quia numquam possessionem acquirere potuit, ut supra probavi neque enim respectu hujus declaratioi Judicis obstat constitutio supra relata de non faciendo privationes vocum imminentie electione, ut in individuo firmat P. Matthieu. in Official. Cur. Eccles. cap. 18. n. 61. in fin., praesertim in electione secreta ad evitandum absurdum, de quo supra cum nunquam Constitutio applicari possit maxime in hoc genere electionis secretae ne de imprudentia, aut absurdo redarguatur ad Text. in leg. Salvius Aрист. ff. de legat. præstan., & in leg. Meminerint in fin. Cod. unde vi.

45 Ec ita me scribente judicavit Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium in Baron. Provinciae Sancti Nicolai Capituli Provincialis 19. Februarij 1712., ubi non obstante quod in Religione Ordinis Sancti Francisci Minoris Observantia vigeat hujusmodi decretum, quod decreta, & sententiæ Superiorum circa privationes vocum non

fiant, & facte non attendantur, nisi processerint, aut intimatae fuerint per mensem ante, ut apud *Lantibusc. in Theatrum regul. in verbo Causa, seu vis num. 2.*, attamen quia Visitator imminentे electio-
nē processaverat non nullos Vocales super non ad implemento Miliarum ad formā constitutionis In-
nocentianæ insigentis privationem vocis ipso Jure,
& hi Proceslati licet prævijs contradictionibus, &
oppositionibus fuerant admissi ad suffragandum in
electione secreta, decisum fuit pro nullitate electio-
nis propter incertitudinem an Vocales processati
votassent favore Provincialis electi.

46 Hic etiam applicari non puto Statutum Capituli Tolosanij de Anno 1628. quod resert *Fon-
tana tit. de elect. num. 3. ibi — Declaramus instanti-
e electione non posse mitti Commissarios ad inqui-
rendum an Vocales ritè, & secundum fus gaudeant
voce, sed procedendum esse ad electionem, & dubia
si quæ fuerint ad Confirmatorem essemittenda —*
quia nihil plus dicit supra id, quod caverunt in Constitutione Ordinis mox relata, illique propterea applicantur omnes responsiones jam datæ ejdem Constituti, sed crescit hic inapplicabilitas, dum nihil commune habet missio Commissariorum ad inquirendum, quæ est actus extraordinarius cum legitimatione Vocalium, quæ necessariò fieri debet per Præsidem Capituli, aut declaratione, quæ spectat ad Provincialem circa inhabilitatem substantialem, quæ respicit conditiones de Jure requisitas, ut quis dicatur Elector, quidquid secùs de inhabilitate culpabili, de qua potest, & debet intelligi Capitulum Tolosanum, juxta distinctionem *Pafferin. de Elect. cap. 14. num. 45., & seqq. juncto num. 50. & 52.*

47 Oppositiones contra Sententiam Provincialis relevare non puto, quod eniū post illam latam Vicarius electionis quæsiverit probationes interrogando P. Voxmediano, in quo Conventu fuisse assignatus nihil concludit, quia Sententia latam fuerat prævijs probationibus sui adhibito Consilio Patrum Collegij Salmantini Vicarius autem fecit supradictam interrogationem ad maiorem exuberantiam, ut nempè Sententia etiam ex confessione Partis rata maneret, quod fieri posse dixit *Rot. me. Scribente in Cremonen. Beneficij 3. Decembbris 1706* §. Non obstat, coram R.P.D. Lancetta, quod verò eadem Sententia inaudito, & indefenso P. Voxmediano emanaverit pariter obstaculum non facit, quia Provincialis habet facultatem faciendi has declaratio-
nes etiam tempore Capituli de Consilio Patrum, ut probat *Pafferin. de elect. cap. 14. num. 75. & seqq.* ad hanc declaratoriam processit ad tolleendas difficultates, super quibus dubitari audivit de cætero injungens, ut declaratoriam legi facere Vicarius per Secretarium Conventus ante proximam futuram electionem, prout lecta fuit non appellante, neque tunc reclamante ad lectorum P. Voxmediano, post aliquos verò dies solum protestatus est, quod Provincialis iterum sententiaret eo auditio, ibi — Re-
quiro, ac prævenio V.P.R. Provincialis faciat novum judicium, & examen dictæ conditionis audiens in forma juris meam partem, & juxta illud transeat ad proferendum suam Sententiam, & declaratio-

nem — Et insuper petiit, quod Vicarius ficeret inseri hanc protestationem suam in decreto electionis — Ita ut non possit esse examinata, & judicata elec-
tio sine examine, & judicio illius — totum hoc au-
tem fuit adimpletum, quia Provincialis confirmando electionem iterum confirmavit Sententiam declaratoriam latam contra P. Voxmediano ejus juribus, & rationibus auditis, & examinatis, & sic ces-
sat defectus Partis indefensæ, & inauditæ, istæ enim protestationes, quæ sunt ante electionem per eos, qui se prætendunt Vocales solum operantur, ut elec-
tio maneat in pendulo, & dependeat ab eo, an pro-
testationes sint justificatae, & de justitia recognita
apud Confirmatorem, vel non justificatae, aut injus-
tae, si enim convincuntur justæ cassatur electio, si
injustæ confirmatur, ut benè Panorrit. loquens de Possestori malæ fidei prætendente Jus votandi in
Conventu, à quo fuit translatus in cap. Constitutis,
num. 3. versic. Secundo, quia potest intelligi, Gon-
zal. num. 7. in fine, *Pafferin. de elect. cap. 3.n. 29.*, &
cap. 32. n. 24. 26., & 30. ea ratione, quod Sen-
tentia retrotrahitur ad tempus ante electionem.
Pafferin. de elect. cap. 10. num. 131., est enim sim-
plex patefactio præteriti latentis, quæ aliquid de no-
vo non inducit l. Adeo, §. Cum quis, ff. de acquir-
rer. domin., & maximè ubi ante electionem pro-
cessit terminus, à quo prima, nempè Sententia, quæ
fuit post electionem confirmata, ut tradunt *Lotter.*
de re Benefic. lib. 2. quest. 51. n. 41., & seqq., *Rot.*
in Dertbusen. Beneficij 2. Decembbris 1701. §. fin.
coram clar. mem. Card. Caprara.

48 Altera objectio consistit in voto P. Ferdi-
nandi Llanos, quem licet potuisse admitti ad eligen-
dum Reverendissimus Generalis declaraverit, si
censuit tamen in futuris vacationibus non esse ad-
mittendum, ostendam verò hunc Religiolum fuisse,
& esse legitimum Vocalem tamquam alsignatum
in Conventu Sancti Pauli, & votare debere etiam
in futuris vacationibus, juxta enim Constitutiones
Collegij S. Gregorij ibi instituta fuerunt plures pre-
bendæ pro Lectoribus, & ad lectorum sunt passive
vocati filii plurimi Conventuum, qui per electio-
nem assumuntur ad munus Lectoris in dicto Colle-
gio, casu autem, quo vel aliqua Domus, vel Con-
ventus, aut non habeat filium aptum ad lectorum,
aut Conventus non fecerint electionem, statuitur
— Quod illa vice electio devolvatur ad Provincia-
lem, qui possit tunc nominare quemcumque volue-
rit, & ex qualibet Domo sit nominandus — statuitur
etiam quod in casu electionum factarum per Con-
ventus de Lectoribus, isti finito tempore Collegij
ibunt, & redibunt ad Conventum, pro cuius pra-
benda electi sunt.

49 Ratio dubitandi consistit in eo, quod Pater
Llanos non fuit electus per Conventum de Villada,
pro quo vacabat præbenda Lectoralis in Collegio,
sed Provincialis Jure devoluto nominavit ad lectorum
eumdem Llanos Loco, & vice, scilicet pro Conven-
tu de Villada, & ideo queritur, an illa verba — Qued
Collega finito tempore Collegij ibit, & redibit ad
Conventum, pro cuius præbenda ingressus fuit — in
casu isto, quo Provincialis nominavit, Jure devo-
luto

luto hunc Religiosum pro Conventu de Villada præferant, quod nominatus pro tali Conventu debeat redire ad illum, & per hoc censeatur illi assignatus.

50. Ego autem omisa indagine, an ille redditus ad Conventum inducat assignationem, credo, quod Pater Llanos nunquam amiserit Conventum Sancti Pauli, cuius est filius, & cui reperiebatur assignatus, non obstante, quod fuerit Lector nominatus pro Conventu de Villada; Constitutio enim, quæ redditum ad Conventum, pro cuius præbenda ingressus fuit Collegium mandat, & præcipit verbis suprà relatis, loquitur tantum in casu quo Conventus, cuius est præbenda per electionem nominaverit aliquem suum filium pro Lectori Collegij, tunc enim finito tempore lecturæ intelligitur reversus, & re incorporatus suo Conventui, à quo fuit electus, quia in isto casu revertitur ad suum primævum statum, suamque primævam assignationem in Conventu, unde discessit, & missus fuit per Text. in Can. ab exordio dist. 35., ubi Glos. in verb. Adde, l. Si unus, §. Quod, & in specie, ff. de pæct., Rot. dec. 1094. num. 10. coram Emerix Fun., & in Nullius, seu Clarevallen. Visitationis 21. Martij 1707. §. Hæc autem, coram Rmo. Kaunitz.

51. Secus autem est, ut clarum puto in altero casu quo in deficiemtiam electionis alicujus Conventus, aut filij ibi non apti ad lecturam Jus nominandi devolvatur ad Provincialem, hoc enim casu Provincialis licet Jure devoluto nominet pro illo Conventu, cui tangebat præbenda, non tamen est obligatus nominare unum de illo Conventu, sed potest ad libitum nominare quemcumque Religiosum ex qualibet Domo, seu Conventu, in quibus terminis non applicatur, quod dicit Constitutio — Finito tempore Collegij ibit, & redibit ad Conventum, pro cuius præbenda ingressus fuit — Quia deficit suppositum Constitutionis, quod ille Religiosus fuerit electus per illum Conventum, sicut importat illud verbum — Redabit — quod supponit reversionem ad illum locum, in quo anteà permanxit, & a quo electus, & missus fuit, juxta Text. in l. Ex maledicis, ff. de action. & oblig., Rebuff. in l. Verbum reddendi, in verb. Redire, ff. de verb. signif., ibi — Redire dicitur is, qui fuit alias in illo loco, & postea ad eundem revertitur — & rursus ibi — Et redire bona ad nos tunc dicuntur quando semel nostra fuere, vel à nobis possessa.

52. Ergo cum deficiat suppositum Constitutionis, neque applicatur ejus dispositum, prout clare non applicatur quando Provincialis Jure devoluto nominat pro Lectori filium alterius Conventus loco illius, cui tangebat præbenda, quia in hoc casu non potest verificari redditus ad Conventum cum nunquam ibi steterit, aut a signatus fuerit nominatus per Provincialem tamquam de altero Conventu assumptus, in isto siquidem casu provisionis Jure devoluto Constitutio non loquitur, sed est casus omislus, qui suppleri debet, prout de Jure, certum est autem de Jure, quod redditus, & reversio Religiosi fieri debet ad illum Conventum, cuius anteà assumptionem erat filius, cum unusquisque reverti debeat ad suum primævum statum, suffragante ad

hoc ipsa etiam tunc Constitutione, quæ sicut filium Couventus, à quo fuit electus mandavit ad illum reverti, ita quando Provincialis loco illius Conventus alterum Religiosum nominavat, & assumpit ex alio Conventu, ad eundem finito lecturæ tempore reverti debet, juxta Text. in l. Postliminium, §. Postliminio redisse ff. de captivis, & postlimin. revers. l. Filium, §. 1. ff. de Bonor. possess. cont. tabul. Rot. coram Emerix Fun. decis. 1025. num. 21., & 27., & decis. 1094. num. 11.

53. Remanet examinandum quidquid gessit Pater Provincialis in hoc negotio electionis respectu deputationis, & missionis Vicarij ad effectum præsidendi electioni cum facultate confirmandi, & cassandi electionem, dicunt enim Oppositores, quod non potuerit mitti Vicarius extra illos duos casus in Constitutionibus Ordinis præfinitos scilicet, aut quando concurrit magna dissensio eligentium, aut quando in Conventu non existit, qui sciat electionem dirigere, sed objectum credo insubsistens ex quo Constitutiones loquuntur in casu quo mittatur Vicarius ad præsidendum, & simili habendum votum activum in electione, secus autem, quando mititur Vicarius sine voto quia tunc mitti potest quandcumque etiam extra illos duos casus in Constitutionibus expressos, ut in puncto distinguendo inter Vicarios cum Voto, & sine Voto firmarunt Fontan. titul. de Vicar. cap. 12. num. 1., & 2., & in Cap. General. Valent. 1647. declarat. 7., Castellin. de Elect. cap. 12. num. 10., & sequent., Passerini. codem tractat. cap. 3. num. 49. ea ratione, quod etiam extraneus sine voce admitti potest in Capitulo, ut Electores adjuvet, nimirum ut eos ditigat, ut ex Panormit. in cap. cum Ecclesia Sutrina de oans. possess., & Propriet. num. 43. vers. quam enim non sit contra Ius, Donat. in Prax. tom. 2. tractat. 2. de loco Elect. question. 15. num. 4., Passerini de Elect. cap. 3. num. 58., & cap. 14. num. 25.

54. Respondent Oppositores, quod Provincialis in litteris patentibus non ademerit Vicario facultatem votandi, quæ id circò subintelligatur, licet non expressa tamquam competens Vicario vigore Constitutionum, sed facilis responsio est, quod hæ tacita, & subintellecta facultas nunquam arguitur, aut infertur, quando ipsem Provincialis deputans, successivè declarationem fecit expressam, quod Vicarius Votum non haberet ut probatur Summario Villamandos Num. 27. litt. B., ibi — Declaravi, quod non dedi ei, aut si dedi ligavi actionem votandi — standum enim est declarationi ipsius Provincialis deputantis quæ tamquam expressa facit cessationem actionis, & sub intellectum leg. cum ex Filio, §. Filio impubere ff. de Vulg., & Pupilli., Riminali. Junior. conf. 330. num. 5. lib. 3., cum alijs recollectis per Barnas. axiom. 89. n. 3., Rot. decis. 134. num. 15. part. 14. Recent.

55. Quid plus? ipsem Provincialis in quodam commissione data die 28. Novembris 1712. pro confirmatione Electionis primo loco factæ die 23. Novembris ejusdem anni de P. Blanco expresse dixit, & nominavit Fr. Ambrosium Martinez fuisse Vicarium à se ipso institutum absque voce acti-

va, & passiva, ibi — Vicarij instituti à S.P. Admodum R. & Presidis Prefati Conventus, & Electionis absque voce activa, & passiva, — qui actus est per plures menses ante ultimā electionem de qua agitur; standum proinde venit declarationi ipsius Delegantis, non autem in abstracto dicendum, & sofisticandum, quod Vicarius debeat de Jure habere Votum, quia quod factum fuit attendi debet, non autem, quod aliter fieri poterat Rot. dec. 36. nu. 6. part. 17. Recent., Barbos. axiom. 93. num. 15. Rot. in Asten. Prioratus super Pertinentia 11. Junij 1708. §. Non attenta cor. R.P.D. Lancetta, & 7. Decembris ejusdem anni §. Nibilque refert, cor. R. P.D. Aldrovando, & in Senogallien. Canonicatus de Lachis 23. Junij 1710. §. Inutiliterque cor. eodem.

56. Controvertunt Oppositores, quod Vicario dari non potuerit facultas confirmandi, & respectivè casandi electionem, sed est objectum meo iudicio insubsistens, nam cum facultas confirmandi competit Provinciali autoritate ordinaria, id circò est actus alteri delegabilis per Text. in Cap. inter cetera de Offic. Ordin., & Cap. cum Episcopus eodem titul. in 6. à S.Ubuld. quodlibet 11. num. 1074. & quodlibet. 13. num. 1472., & in specie referendo casus Vicariorum cum facultate confirmandi tradit Passer. de elect. cap. 36. num. 50., & docet recepta praxis, immò sicut Vicarius fuit deputatus Praes electionis, ità Praes habet de Jure facultatem confirmandi, ut testatur Passer. de elect. cap. 40. num. 92., ibi — *Quia regulariter, qui confirmare potest est Praes, qui adest electioni.*

57. Et demum frigescit Oppositio, quod Vicarius, & Praes non habuerit facultatem se ingerendi circa legitimationem vocalium, & signanter Patris Voxmediano recipiendo oblationes sibi oblatas, quia principia substantia Presidis Capituli in

hoc residet, ut omnia ritè, & rectè fiant in electionibus, & habet jurisdictionem circa legitimationem vocalium, & in figura Judicij auditis Partibus procedendi ad includendos, vel excludendos vocales, ut liquet ex Passer. cap. 14. num. 51. & 52. & hanc facultatem, & maiorem tribuit Provincialis Vicario in litteris patentibus non solum delegando illi Jus confirmandi, sed etiam dicendo, ibi — *Omnia siquidem, que hoc nomine barum serie ego ipse approbo, casso, annulo, confirmo, & rata habeo, ut meo nomine, atque mea auctoritate facta perinde, ac si per me ipsum personaliter presentem approbata, cassata, nulla confirmata, & rata fuerint, quæ sanè major, quæ amplior, quæ plenior facultas dari potuit? & tamen inaequale est, hanc facultatem esse delegabilem per Provinciale, tamquam ordinariam, ut in Individuo refert, Passer. de elect. cap. 14. num. 75., itaut talis Vicarius, & Praes habeat jurisdictionem, & Tribunal tamquam delegatus ad universitatem caularum, & dubiorum, quæ resipiunt electionem, & Capitulum Conventuale cum potestate tam in capite, quam in membris, ut inquit Passer. in Tribunal. Regular. quæst. 2. art. 3. num. 32. & insuper ad quid interviret authoritas confirmandi, nisi haberet Vicarius iste jurisdictionem inseparabiliter necessariam projudicandis, & decidendis omnibus dubijs juxta ipsum Capitulum Tolosanum de anno 1628., ibi — *Et dubia si quæ fuerint ad confirmatorem esse mittenda — & probat Peyr. de Offic. subdit. regul. quæst. 1. cap. 31. §. 10. per totum. Unde patet gesta per Patrem Provincialem Hispaniæ cum sapientioribus, & gravioribus Patribus Collegij Saltianum nulli censuræ obnoxia forè, immò summa maturitate, & prudentia, & accurata discussione processisse, & id circò laudanda, & confirmanda, ut Justitia est.**

Et ita censeo salvo semper prudentiori Judicio, &c.

